



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

V. P. Gasparis Družbicki, Societatis Jesu, Opera Omnia Ascetica

Aucta Duobus Opusculis De Effectibus, Fructu, Et Applicatione Sanctissimi
Missæ Sacrificii, Et De Sublimitate Perfectionis Religiosæ. Catalogum
Tractatum Asceticorum Omnium Vicina Post Dedicacionem Pagina
Indicabit

V. P. Gasparis Družbicki, Societatis Jesu, Tribunal Conscientiæ Per Varias
Examinis Industrias seipsam dijudicantis, Tendentibus ad perfectionem,
præsertim Religiosis accommodatum

Družbicki, Kaspar

Ingolstadii, 1732

VD18 90066413

Industria XVII. Ratio examinis de rebus, quæ agendæ sunt.

urn:nbn:de:hbz:466:1-45441

his minutiis, & dicunt; Euge euge deſideravi-
mus eum. 6. Falfa opinio multorum, qui nos
his ſuccumbere, quantò minùs modo credunt,
tantò ampliùs cum rubore noſtro in iudicii die
ſuccubuiſſe videntes mirabuntur. 7. Multi infe-
riores nobis ætate ſpiritali, ſcientiã Religiõſã
perfectionis, & virtutum Profeſſione, filii no-
ſtri, qui his non ſuccumbunt, immo ne titillan-
tur quidem, & quidem ex noſtro ſuaſu, ductu,
& magiſterio, ab his certè ſuperari, non poteſt
non eſſe indignum, atque probroſum, & ad vere-
cundiam noſtram.

His ſimilibuſque motivis in Dei Lumine per-
penſis, non poterit non moveri animus, ad pœ-
nitudinem, & ad robuſtam iſtarum luçtarum
excuſſionem.

INDUSTRIA XVII.

*Ratio Examiniſ de rebus quæ agenda ſunt, & quæ
aguntur.*

AD perfectionem noſtrorum operum, vel
maximè conducit illud, ut cujuſque operis,
& antequam agatur, & dum agitur, & poſtquam
actum eſt, natura capacitaſque perfectionis, &
imperfectionis cognoſcatur. Hoc eſt enim uni-
cum Prudentiæ (quæ eſt omnium virtutum Ma-
giſtra, totiuſque perfectionis anima) ſubſidium,
& adminiculum, ſine quo illa & conſiſtere, &
officio ſibi proprio ritè deſungi, nullo modo
poteſt. Porrò hæc cognitio de natura & capa-
citate ſive perfectionis, ſive imperfectionis cu-
uſlibet operis, nulla meliùs atque certiuſ ratione
acquiritur, quàm uſu Examiniſ, cujuſ rationem,

V. P. Druzb. Op. IX.

G

ut

ut in promptu sit, præsens Industria præscribitur.
Igitur

Examen serviens iis rebus quæ agenda sunt, hæc complectetur.

1. An sit opus faciendum? Quare? & ob quem finem? motivum ac impulsivum? nempe intuitu solius Dei, motivo supernaturali, illo vel illo particulariter.

2. Ut prævideam ea, quæ evenire, etiam præter spem possunt, occasione boni, mali, impedimenta, auxilia, mortificationes.

3. Ut circumspiciam omnes, quoad fas, operis agendi, continuandi, perficiendi circumstantias.

4. Zelum in agendo, & vigilantiam exactam, discretione temperatam.

5. Constantiam, Magnanimitatem, efficaciam, & obfirmationem animi, adferam prævisè.

6. Dabo operam, ut ad integritatem operis attendam, atomicâ etiam intercurrentium actuncularum, eventuum, obstaculorum, remorarum, insuccessuum, circumstantiarum denique omnium acceptatione, & ratificatione, modò capaces sint.

7. Ad vincendum, me deligam molestiora, & vilificantia me magis, sive opera, sive media, & modos, & adjuncta.

8. Adhibebo intensionem conatum perfectionis causâ, & gradus heroici attingendi.

9. Sublimabo quoque opus finibus, & modis & conatu, & fervore, & gratuitate operandi Deo gustabiliore.

10. Inquiram media operis, vel finis affequendi

Dr. C. C.
Bicki
oper. as c. c.
Tomus I.
N. V.
58

quendi exequendique : deligam eadem : exe-
quendi ordinem præſiniam : regulas, obſerva-
tiones, induſtrias adjungam, curaboque uti oc-
caſionibus, tam ad naturam operis ſequentibus,
quàm à me præviſis, adſcitis, expectatiſque, quàm
ſponte ſua, & alicunde inopinatò incidentibus.

11. Ut cum fructu optato, & debito.

12. Ut cum ædificatione Proximi fiat opus,
enitar.

*Examen ſerviens rebus, quæ aguntur, &
dum aguntur.*

1. In Progreſſu & decurſu operis, frequenter
me Deo, & ejus Præſentiæ ſtatuum.

2. Me ad me ipſum ab effuſione, & abſor-
ptione revocabo.

3. Innovabo Intentionem ex quâ opus ſum
aggreſſus.

4. Exquiram ſenſum judiciumque Dei, &
conſcientiæ de opere, de que modo faciendi.

5. Si quid male actum, mox dolebo, retra-
ctabo, emendabo, expiabo.

6. Si quid benè, reſtituam Deo plenè.

7. Benedictionem, auxilium, gratias operi
continuando, perficiendo congruas, pro men-
ſura Divini beneplaciti petam.

8. Inſtaurabo agendi fervorem juxta habitus
menſuram, ad heroicifmum.

*Examen commune rebus tam agendis, quàm
quæ aguntur.*

1. Obteſtabor Dei Benedictionem, Provi-
dentiamque, ut me dirigat mihi que adſit, in opere
ſive faciendi, ſive quod jam facio.

G 2

2. Affi-

2. Assuetudinem sedium Dei æternam Sapientiam orabo, ut mecum sit, mecumque laboret.

3. Ab eadem Sapientia petam monita, ad rem gerendam, perficiendamque, modos item gustabiliores Deo.

4. Ab eadem fidenter, sed non curiosè, verùm humiliter, ac resignatè inquiram eventuras futurationes.

5. Imploratâ sic ope Divinæ voluntatis & Sapientiæ, nec non conceptâ vivaci spe benedictionis, directionis, protectionisque, rei progressum, & finem soli totaliter Deo permittam.

Examen serviens rebus jam peractis.

1. Projiciam me in Dei Providentiam, tanquam in sinum maternum, & in ea tanquam fessus respirabo, atque requiescam securus.

2. Exponam Deo cum humilitate laborem meum in opere, illumque cum ipso supponam Divinis pedibus.

3. Meum esse, operari, aptitudines, conatus, industrias, intenta, designationes, sufficientias, diligentias, naturales, & supernaturales, habitus item, gratias, intensiones earumque gradus, item merita antecedentia, vel opere acquisita, fructus quoque, & meum esse apud alios (sive opinativum) videlicet gloriam, laudemque humanam, favores, approbationes, amores, spes, prædicationes, applausus, contentationes, gustus, & quidquid tandem meum, vel creatum intercedit, totum totaliterque unâ cum memet ipso, Divinis pedibus supponam, me confundam, nihilum meum agnoscam, oculisque meis objiciam & solam ineptitudinem, malitiam, poenâque reatum ac debitum mihi reservans, DEO

omnia

omnia attribuam, proque omnibus gratias agam, & apud ipſum depoſita relinquam, ſolumque me nudum, ac puro nihilo veſtitum retinebo.

INDUSTRIA XVIII.

Ratio utendi prædictis Examinibus, & ſimul fere omnium Examinum compendium.

HAbebit nonnemo, præmiſſa hæcenus Examina uſurpare cupiens, difficultatem ex eo capite non leuem, quòd in tanta ſeu Examinum varietate, ſeu capitum in Examinibus contentorum multitudine, non facilè inventurus ſit modum, quo iis cum ſatisfactione utatur. Huic incommodo bifariam præſens Induſtria medetur.

Primò enim ad dictam difficultatem minuendam, commodum erit, ut negotiator ſpiritualis certa ſibi tempora ſive in diem, ſive in hebdomadam, ſive etiam in menſem aſſignet, quibus ex propoſito, quopiam ex dictis examine utatur, quantum natura cujuſque exigit. Sunt enim quædam quibus non erit opus quotidie uti, ſed pro libitu, nunc hoc, nunc illo genere Examiniſ occupari licebit. Tale eſt, quod prima Induſtria ad normam Sancti Patris IGNATII præſcribit. Tale & illud, quod vulneribus Chriſti eſt accommodatum. Talia & illa, in quibus homo aut ſe coram Deo, aut ab ipſo veluti Deo iudicatur. Sunt verò quædam quæ ſingulis diebus ſalubriter uſurpabuntur, ſi certum & commodum tempus habuerint. Tale eſt contrapositionis. Tale de fontibus defectuum. Tale de Innovatione fervoris. Tale de occaſionibus virtutum. Tale de gratiis excitantibus. Tale cenſorium.